

ad hos audiendos invitaremus, nisi Vos hoc Lubentissime facturos  
confideremus, ut quibus hic natus Θεογνωπος, JESUS CHRISTUS,  
unicè & curæ est & cordi. Interea summā Vos rogamus observan-  
tiā, sanctāq; officiorum & servitorum promissione, ut die crasti-  
ni fini à concione ad nos visere, simulq; nobiscum sancta JESU  
CHRISTI Genethlii devotè meditari velitis, qvō ipso magnum Pie-  
tatis opus exhibebitis.

Tu vero, dulcissime JESU, Redemptor & Salvator unice,  
fac ut & nos Te concipiamus in pectore, qvemadmodum olim Maria  
Te concipiebat in ventre. Concipiebat Te extimescendo; nos  
qvoq; faciem Tuam extimescamus, siquidem timor Tui est initium  
veræ sapientiae. Concipiebat Te inquirendo, non gratia incredu-  
litatis, sed causâ docilitatis; nos qvoq; scrutemur & inquiramus præ-  
sepe Tuum Ecclesiam veram, explicemus fascias Tuas, scripturas sacras.  
Concipiebat Te Mariæ castè vivendo, qvia virum non cognove-  
rat; nos qvoq; castitatem sectemur, ut Te castitatis amatorem am-  
plexemur. Concipiebat Te sese humiliando, qvia se ancillam  
Tuam professâ est; nostræ qvoq; animæ demissæ sint; non elatæ, mo-  
destæ, non tumentes, qvum superbis resistas, humilibus autem gratis  
am concedas. Deniq; concipiebat Te credendo, dum sese totam  
arbitrio Tuò permisit; O etiam nos credamus, nos fidamus, nos adsti-  
pulemur! Sic enim invitari, sic conciperi, sic nobiscum habitari. Sic  
Spiritus Sanctus superveniet in nos, & virtus Altissimi  
obumbrabit nobis.

Fiat. Amen. Fiat! Qvō fiant omnia, faxis  
Sancte infans fate patre Deo, fate virginem matrē.  
P P. Budissa XXVI Itō Decembris, anni prolapſi  
CICXLIV.

F I N I S.

